

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertatio Inavgvralis Medico-Chirvrgica De Spina  
Ventosa**

**Hamberger, Georg Erhard  
Maler, Philipp Ernst**

**Iena, 1746**

Dissertatio Inavgvrar[!]is Medico-Chirvrgica de Spina Ventosa

[urn:nbn:de:bsz:31-41390](#)



*Q. D. B. V.*

---

DISSERTATIO INAVGVRARIS  
MEDICO - CHIRVRGICA  
DE  
**SPINA VENTOSA.**

---

§. I.

 **O**mnis res praeternaturalis siue affectus praeternaturalis, vel est morbus, vel causa morbi, vel symptomata. Nostra vero spina ventosa ad morbum refertur, adeo enim constitutio p. n. partium nostri corporis, uti ex sequentibus patebit, i. e. causa morbi proxima; ergo et morbus. Hic vero generaliter iterum triplex est. Vel enim morbus consistit in intemperie, vel in mala conformatio[n]e in genere sic dicta, vel in soluta unitate. Noster, quo de agimus, affectus, non solum est morbus intemperiei, non solum morbus malae conformatio[n]is, nec solum morbus solitae unitatis, scorsim sumtus, sed est morbus ex triplici

A

hoc

4 DISSERT. IN AVG. MEDICO-CHIRVRG.

hoc morborum genere compositus, nimirum ex intemperiei, malae conformatio[n]is, et vnitatis solutae morbis, in vna eademque parte, quam affectus noster premit, simul reperiundis, id quod nunc sub trutinam vocabimus, et primo non immerito ad nominis contemplationem nos adcingemus, quod, vt in nostra dissertatione fiat, aequum est. Affe[ct]us ergo, quem exposituri sumus, ab Autoribus communiter SPINA VENTOSA vocatur, (quamquam pauci chirurgorum eius faciant mentionem, neque enim in CELSO, GALENO, FABRICIO, DIONIS, LAMZWERDE, WVRZIO, PVRMANNO, nec in GARANGOTO, huius morbi descriptio reperitur,) ex qua denominatione non tam facile perspectu est, quemnam morbum indicet spina ventosa. Officii ergo mei est, causam et rationem euoluere, quare probabiliter chirurgis sit ita dicta. Denominatio morbi nostri est duplex, adeoque duplex ratio datur, aliud enim significat spina, et aliud ventosum. Spina morbus noster dicitur hac ex ratione, quia dolor percipitur, pungitiuus, acutus atque terebrans, quasi a spina ortus. Ventosum deriuatur a vento, et denotat tumorem distendentem partes affectas, vt flatus vel ventus inclusus in corporibus mollioribus facere solet. Interpretes quoque, iuxta similem vocabulorum compositionem, vernacula lingua, den Winddorn vocarunt.

§. 2.

Nomen hoc primitus ab Arabibus prognatum, et ad nos, versione facta, delatum esse, fere omnes, qui de hoc agunt, testantur. Ab autoribus variis quoque nominibus insigniri solet morbus noster, quae vero ad rei cognitionem parum conferunt; qui vero ista appetit

tit, MERCLINVM in not. ad PANDOLPHINVM lege-  
re potest. Generatim ad cariem noster pertinet affectus,  
cuitis duas sunt species, altera enim species in interiori  
ossis substantia oritur; altera vero extrinsecus, in super-  
ficie ossis externa, nascitur: Haec species a plerisque  
recentioribus medicis caries, ista autem spina ventosa, si-  
ue ventositas spinae vocatur. Simile malum in epi-  
physibus ossium puerorum interdum obseruatur, intu-  
mescunt enim p. n. dictae epiphyses, nec nego aliquam  
saltim erosionem intus latitare. Quia vero ordinarie  
nullus dolor iunctus est, ad spinam ventosam vero acutus  
dolor necessario requiritur. SEVERINVS hunc effectum  
primus παιδαρθρονίου appellauit, vocabulo graeco, ex  
παις puer, ἀρθρον articulus, et ναυη malum composito,  
quasi quis hoc ipso malum siue morbum, circa articu-  
los puerorum frequens, indicare vellet: quo nomine  
postmodum alii veram spinam ventosam indicarunt, mi-  
nus autem recte, quia nec de adultioribus, in eundem  
morbum incidentibus, usurpari potest, nec dolorem ha-  
bet coniunctum, qui tamen, nisi prius moriantur pueri,  
aut morbus curetur, accedere, et sic paedarthrocace in  
veram spinam ventosam transire potest. Vnde patet  
paedarthrocacem esse quasi initium spinae ventosae.

## §. 3.

Spina ventosa est corrosio ossium, ab interna sub-  
stantia initium capiens: postea partes supraiacentes af-  
fligens, cum dolore et tumore partis. Quemadmodum  
enim Teredo siue vermis, (sic quoque morbus noster  
dicitur) lignum exedit, arrodit, perforat; ita etiam pu-  
rulenti et acres ichores, in ossium poris coaceruati, sua  
acredine ossa corrodunt. Spina ventosa in interiori of-

A 3

sium

## 6 DISSERT. IN AVG. MEDICO-CHIRVRG.

sium compage sedem habet, ab acido acri rosuo humore ibidem congesto, qui pedetentim versus exteriora tendit, et, vel totum os, vel saltem eius partem, modo maiorem modo minorem, in crassitatem expandit, hinc in tumorem eleuat, qui ad tactum durus est, nec dolet: Quodsi vero externae membranaceae aliaeque partes simul afficiantur, mollis, immo subinde aëre quasi inflatus videtur, et dolor tactu crescit.

## §. 4.

Affectiones noster in interioribus partibus ossium fundatur, (§. 3.) praesertim in iis, quae molioris ac spongiosioris sunt substantiae; ut ossa cranii, pectoris, apophyseum, carpi et metacarpi, tarsi et metatarsi, aliorumque ossium partibus spongiosis, circa articulos nempe, ubi talis acris materia facilius in cellulis osseis haerere, accumulatori, tenerioremque ossium substantiam leviori negotio emollire, sicque expandere potest. Haec quoque corruptio quandoque fieri solet in partibus ossium densioribus, vti est os humeri, femoris, cubitus, radius tibia, fibula. Verum enim vero hic morbus in istis non adeo est frequens, quam in molioribus, et quando fit, ista plerumque tantum afficiuntur subiecta, quae tam densa ac dura ossa non possident, verbi gratia infantes ac mulieres, et qui viuunt laute quiete et molliter: Horum enim fibrillae osseae non ita sunt compactae, quam eorum, qui laboribus grauioribus sunt adstricti.

## §. 5.

In Osteologia et Anatomia demonstrantur atque conspicuntur in ossibus foraminula, praesertim circa eorum capita, transmissioni vasorum, arteriarum nempe venarum et neruorum, inferuentia, periostio cincta, a qui-

quibus ossa nutrimentum accipiunt, aequae ac omnes totius corporis partes. Sed ista vasa, in substantia ossis, adeo in minutissima distribuuntur, ut visum omnem fugiant. Ex hisce colligendum est, quod non solum motus progressius fiat tardior, propter angustiam vasorum, sed et fluidum istud facilius stagnare atque ex hisce corruptionem concipere possit. Obstruuntur vero ista vasa, quando particulae grossiores in illa detruduntur, a vi cordis atque arteriarum, quam per ea transire possunt. Quodsi ergo hoc fit, adest affluxus, refluxus vero est impeditus; sequitur itaque, ut vicina vasa quoque comprimantur ac distentantur, adeoque fluida in pluribus locis stagnent, vnde istud fit quod in mollioribus partibus dicitur inflamatio, i. e. resoluuntur partes stagnantes praeternaturaliter, ut tandem corruptio sequi debeat: Nam fluida vitium capiunt, ni moueantur. Ex his patet, adesse in spina ventosa primitus morbum conformatonis, qui dicitur obstructio, et hunc sequi intemperiem particularem. (§. 1.)

## §. 6.

Cum vasa ossium minima interna aëris aliisque iuriis non ita sint exposita, vti molliorum et externarum partium vasa minora, ista tamen sint nostri morbi subiectum principale, raro quoque fieri potest, ut a sola causa externa noster fiat morbus, sed fere semper supponit sanguinem crudum ac viscidum acrem, qui vel primam constituit obstructoris, in tubulis et cellulis ossium, causam, vel saltim, pro incremento mali, nouam semper sulphureo-salinam acrem materiam porrigit, vel utrumque simul praestat, donec tubuli ac fibrae osseae corroduntur, et sic omnium, istius loci, partium ossearum cohaesio

## 8 DISSERT. IN AVG. MEDICO-CHIRVRG.

sio redditur minor. Quatenus os eroditur adest tertium morborum, solutae nempe vnitatis, genus, speciatim caries, vnde dictorum (§. 1.) patet veritas.

## §. 7.

Ex eadem cohaesione imminuta tam adhuc aliis morbus conformatio*n*is, qui tumor dicitur, quam solutae vnitatis morbi symptoma, dolor nempe oritur. Multarum enim ossearum partium cohaesione sublata, ab abfluente constanter nouo succo os facile extenditur, prae*cipue* si sit spongiosum. Immo nouae nutrientes partes adponuntur, et ex his quoque os incrementum sumit. Non enim vno impetu os corrumpitur, quia adhuc particulae balsamicae nutrientes cum sanguine, quamquam vitiose constituto, accedunt, quae os in longum tempus conseruare, atque ossi incrementum successuum dare, possunt: Non enim acrimonia, tanquam rosiua, ad os accedit, sed vt sanguis vel serum, adparenter blandum, stasin in osse incipit. Postea vero haec materia per stasin augetur et rosiua euadit; lente tamen, quia parua sanguinis quantitas ad ossa accedit, et lente in iisdem agitatur, hinc sponte quasi tantum, absque vi externa accedente, corrumpitur.

## §. 8.

Ipsae quidem osseae partes, quo*cunque* erodantur gradu, non dolent, quia vero etiam in interioribus ossium dantur membranae flexiles, neruis praeditae, harum erosae fibrae sese contrahunt, et connexas nerueas tendunt, vnde dolor; qui vero insigniter crescit, quando erosio ad periostium usque sese extendit, ibi enim non solum copia neruorum maior est, sed et membranae, a cohaerentibus muscularum tendinibus, maiori tenduntur gradu.

## §. 9.

DE SPINA VENTOSA,

,

§. 9.

Acrimoniam in nostro morbo a salibus proficisci, et quidem ex acidorum classe hoc sal acre desumendum esse, nemo facile in dubium vocabit. Acidum enim sal, in massa sanguinea haerere, etiam sanissima, paucum tamen atque blandum, analysis chymica probat, quam celeberrimus HOMBERGIVS instituit Parisiis, vid. memoir. de l' acad. Royal des Sciences anno 1712. pag. 10. Quodsi igitur partes hae acidae in sanguine, vel potissimum in sero eiusdem, augeantur; acriores et concentratae redduntur, adeoque non amplius blandae subiungatae et proportionatae manent. Acida vero sanguinem viscidorem reddere res quoque est experientiae, vnde sanguinem ad obstructiones disponunt. Congestum igitur hoc acidum rosuum in interiori ossis substantia, ossa destruit atque corrodit: rosuum autem sali vim quis denegabit, cum satis pateat, omne sal simplex, ad actiuitatis gradum perductum, rodere contigua sibi corpora sale specifice grauiora. Speciatim vero acida vim habent in partes terreas et alcalicas volatiles, et has partes ossa maiori quantitate continent, adeoque fit ossum destructio, quae nihil aliud est quam resolutio partium constituentium. Ergo haec vitiata massa sanguinea, qualitate peccans, caussa mediata proximior spinae ventosae existit.

§. 10.

Ipse sanguis qualitatem suam vitiosam acquirit originetenus quidem a vitiis diaetae, de quibus dein dicemus; quoisque tamen secretiones et excretiones, quibus balsamici humores praeparantur, et massa sanguinea depuratur, per diaetae vitia non laeduntur, eousque

B

par-

partes vitiosae non eo gradu accumulantur, vt sponte ventosa spina inde oriri queat. Semper igitur tunc obstructio viscerum praeparantium vel depurantium praecedere vel coniuncta esse debet. Ista quae obstruuntur viscera sunt viscera infimi ventris, praecipue tamen, pro nostro morbo et in infantibus, viae lacteae et glandulae mesenterii, in his enim chylus dilui temperari et spirituofus seu vitalis euadere debet. His vero obstructis chylus ex stasi, vti omne lac in loco calido acescit, caseofus et viscidus euadit, tumor glandularum oritur, nerui earundem comprimuntur, spirituum ergo quoque miscela impeditur, ergo chylus adhuc crudus et nondum fatis coctus, acidus et viscidus, in massam sanguineam defertur, vnde successiue massa quoque sanguinea, detriorem acrem ac viscidam acquirit qualitatem; alia igitur quoque viscera obstruuntur, et omnia secreta ex sanguine fiunt depravata, quia illa immediate ex sanguine fecernuntur.

## §. II.

Non tamen tanta massae sanguineae supponitur acri monia, vt ipsa per se offa erodere posset, sub tali enim vitam persistere posse cogitari nequit, sed semper stasis accedere debet, vti iam dictum est. Quando enim aliquo loco stagnat et immobilia manent fluida nostra, praesertim iam acria facta, non cessat ideo motus eorundem intestinus; ergo etiam stagnantes partes resoluuntur, salia contenta liberantur, sed ex hoc loco secedere nequeunt. Particularum aquearum et diluentium accessus quoqne non datur liberior, ergo in non tam copioso fluido haerent, sed saturatum fit fluidum stagnans et salia concentrantur, ergo actio etiam eorundem est maior. Quando haec obstructio est in ossibus nostra spina ventosa

cosa initium capit : Haec salia in osse libera etiam nutrimentum eiusdem, quod est fluidum gelatinosum, resoluunt, vt etiam hoc fiat acre. Tale igitur si in interstitia fibrillarum ossis penetrat, nouam infert stasin et corruptionem, atque cohaesionem eiusdem vterius immis-  
nuit, vt tunc facile frangi possit. Id ii testantur, qui  
lue venerea scorbuto etc. laborarunt, horum enim ossa fa-  
cile franguntur sine magna violentia externa ; id quod  
etiam passim annotarunt autores.

## §. 12.

Tumor in osse per longum temporis spatium interdum manet, absque dolore manifesto, qui casus, vt supra monui, paedarthrocace appellatur. Sed vix capere possum, quomodo ille corruptus humor aliquandiu in osse subsistere possit, quin dolorem excitet, nisi quod semper particulae aqueae non salinae affluere debeant, ad contactum salium corrodentium immediatum cum fibris imminuendum, et ipsam salium concentrationem minuendam. Obstructio ergo non debet esse plenaria, sed circulus adhuc quidam vt per ipsum locum obstru-  
ctum fiat necesse est, sic enim actio et accumulatio salium fiet admodum lenta, praecipue si massa sanguinea sit valde serosa, vt in infantibus, nec magno adhuc gradu corrupta. Cum igitur omnes mutationes lentae in nostro corpore sint insensibiles, etiam ex hac erosione vel nullus, vel non adeo grauis, orietur dolor. Verum enim vero eo maiori copia in parte corruptus humor coacer-  
uatur, eoque magis dolor cum intumescencia ingraue-  
scit, quo grauior est obstructio, adeoque quo difficilior magisque impeditus est sanguinis per venas recursus. Deinde etiam, quia omnis pars, quam ex solutione con-

B 2

tinui

12 DISSERT. IN AVG. MEDICO - CHIRVRG.

tinui ortus dolor exercet, debilitatem concipit, hincque humores affluentes promptius fuscipit, et segnius a se amouet, mirum non est, humores illos copiosius in ea acumulari, hincque dolorem augeri.

§. 13.

Tandem ut et remotas inquiramus in causas, easdemque distinguamus, secundum naturales, non naturales, et praeter naturales res vulgo receptas, necesse est. Ex naturalibus se sistit, aetas infantilis, et constitutio tenera. Infantum enim non glandulae solum meseraicae facile obstruuntur, sed et eorum ossa, ob mollitiem, adhuc dilatari queunt. In senibus contra minus frequenter hocce obseruatur malum, quamquam non sint excepti; Possunt enim ossa exesa ex succo malo vitiouse crescere, (§. 7.) absque eo ut ossa distendantur; et acrimonia acida atque viscedo, etiam absque glandularum mesenterii obstructione, oriri potest. Sexus vterque hoc morbo tentatur, foeminae tamen, ob humidum abundans, et teneriorem fibrillarum texturam, magis adhuc sunt dispositae. Dispositio dein haereditaria, si infantes in vtero succo nutritio vitiato, acri, viscido, scorbutico, ex lue venerea vel simili morbo contaminato, nutritiuntur, ex quo tunc sanguinem eiusmodi humoribus prauis coquinatum seruant, huc pertinet. Temperamenta quoque, melancholicum et phlegmaticum, huic morbo potissimum sunt obnoxia, cum illud salibus acidis non careat, hoc autem, propter suam visciditatem et humorum impuritatem, facillime cacochymiam acquirere valeat.

§. 14.

Res non naturales ad procreandum morbum nostrum multum concurrere possunt, et quidem aër frigidus

dus humidus, poros stringendo, itemque effluiis aceribus salinis acidis refertus, vnde malum circa maritima loca maxime est familiare. Hic corpora teneriora facile alterat, et sanguinem, dum inspiratur, ad coagulationem, acrimoniam et stagnationem suscipiendam reddit primum. Cibi et alimenta sale acri et nimia aciditate ac viscositate pollutia, omniaque fumo indurata, cum primis nimia copia assumta, viscidum crassumque falsum acremque efficiunt chylum. Item omnes fructus horaei, praecipue immaturi, et omnia illa fercula quae facile aescunt, massae sanguineae acrimoniam acidam inducere valent. Potus intemperatus, acidus, nimis frigidus, feculentus, massam sanguineam pro cliuem reddit ad omnia obstructionum genera. Motus corporis nimius statim post prandium, crudas partes in sanguinem desert, quae postea obstructionses producere possunt, et facili negotio acrimoniam concipiunt.

## §. 15.

Somnus et quies in excessu nocent, nam sanguis non debito modo conteritur et conquassatur, vt a sordibus per transpirationem possit expurgari: sed particulae peregrinae inconuenientes retinentur, quae postea varias obstructionses causare possunt. Qui vero nimiis vigiliis ultra modum indulgent, ii, dissipato et euaporato quasi nimium humido, salia concentrant, eaque acria sibi reddit. Excernenda naturaliter e corpore si retinentur, corpus repletur vitiosis succis, qui, si acres et viscidii sint, facile in ossibus stagnare et nostrum morbum producere valent. Demum omnes affectus qui spiritus deprimunt, vt moeror timor tristitia, continua ti, lympham incrassant, et ad obstructionses disponunt, vnde apti sunt ad Spinam Ventosam procreandam.

## B 3

## §. 16.

## §. 16.

Ex rebus praeternaturalibus ii potissimum morbi occasionem praebent, qui salium productionem atque materiae visciditatem obstrucentem gignunt, ut sunt arthritis podagra, scorbutus, lues venerea, vlegra maligna ichorem fundentia similesque; quae morborum genera non solum viscido ac acido nituntur fundamento, sed et ex locis affectis stagnans et corrupta materia saepe in massam sanguineam reddit, et hanc magis reddit vitiosam. Cum igitur acida salia ossibus, tanquam grauissimis nostri corporis partibus, lubenter adhaereant in iisque subsistant, (ex qua ratione ossibus dicuntur inimica,) quod quotidiana docet experientia, mirum non est, hos morbos, scorbutum ac luem venereum puta, plerumque cum carie ac Spina Ventosa coniunctos esse. Sic quoque, si infantes lacte nutriuntur nutricis lue venerea affectae, facile morbus propagatur, et infans ad rhachitidem et paedarthrocacen disponitur. Fissurae, fracturae, contusiones, et comminutiones ossium nostro affectui fundamentum satis firmum ponere possunt; si nimis tubuli ac cellulæ ossi interni, ut et ipsa medulla conquassentur, sanguis enim et lympha, in loco conquisato extrauersantur, unde corruptionem, omniaque mala quae illam sequuntur, producunt.

## §. 17.

Ex dictis patet diuersas morbi nostri constituendas esse species; aut enim adeat tantum initium huius morbi, i. e. paedarthrocace, aut vera adeat spina ventosa. Vera spina ventosa aut simplex tantum est, i. e. in solis subsistit ossibus, aut exulceratio etiam in partibus externis, ossa cingentibus, haeret: et hoc rursus dupli modo fieri

fieri potest, aut enim erosio partium mollium externarum et ossarum simul incipit, aut molles partes tunc demum eroduntur, quando spina ventosa ad superficiem ossis usque penetravit. Tandem si mollium partium erosio iuncta sit, vclus istud erit vel tectum vel apertum.

## §. 18.

Cognoscitur ergo paedarthrocace ex tumore capitum eorum ossium, quae ad articulos pertinent, vel tumore aliorum ossium, in ea parte cuius substantia est spongiosa, in aetate infantili vel ad summum puerili. Vera et simplex spina ventosa ex dolore primitus ostacopo, dein pungente, in interioribus ossis percepto, qui ad pressionem externam, per digitos factam, non augetur, cognoscitur. Maiorem eius gradum notat, si inde symptomatibus praecedentibus et adhuc praesentibus, tumor partis iungatur durus, talis tamen qui figuram ossis, quamvis auctam, adhuc exhibit. Erosio partium mollium si una cum spina ventosa incipiat, praeter dolorem, in interioribus ossis percipiendum, tumorem in initio mollem tantum, et dolorem ad tactum digitorum crescentem, exhibit, ossa enim in initio malo tumere nequeunt, molles vero erosae partes alium, quam ad summum subdurum, tumorem dare nequeunt, quia ipsae fibrae sunt flexiles, et materia distendens est fluidum corpus, quod cedere potest: Increscente vero malo, osse nempe etiam tumente, partibus vero mollibus iam destructis et ex parte consumtis, durus fit tumor. Sin ex spina ventosa praecedente partium mollium oriatur erosio, signa quoque simplicis spinae ventosae sequitur tumor mollis inflatus et dolens, quae signa valent, quo usque vclus ab integra cute tectum est: Quodsi vero etiam

etiam haec erodatur et vlcus fiat apertum, materia, ex vlcere prodiens, foetida oleosa seu pinguis esse solet, os vero ipsum asperum et inaequale, specilli ope, reperitur. In summo mali gradu etiam sudorem aegroti coeruleum fieri quidam volunt, ita quidem ut induita quoque hoc tingat colore: Hoc symptoma tamen speciale quoddam, huic vel isti subiecto proprium, esse videtur.

## §. 19.

His omnibus lustratis, quid sperandum sit de salute aegroti nunc indicandum est. Morbum igitur non statim mortem inferre putandum est. Quamquam enim cacochymia quaedam semper iuncta sit, nisi haec in vniuersalem abeat intemperiem, vel alium producat morbum, ipsa spina ventosa in se considerata, cum occupet partem ad vitam non necessariam, nunquam lethalis esse potest, quamvis intemperiem vniuersalem, vel alium etiam particularem morbum lethalem, ut viscerum nobiliorum inflammationem, inferre valet. Ratione curationis ita statuendum est, quod ea erosio, quae recens est, et vix initium cepit, multo facilius curari possit, quam illa, quae ab aliquot iam temporibus durauerit: massa enim sanguinea tanto gradu in initio morbi non est corrupta, quanto postea ex materia, ex loco affecto redeunte, corrupti solet. Si corruptio circa partes tendinosas atque nerueas haereat, illae ab acri ichore semper corroduntur atque afficiuntur, vnde inflammatio, febris acuta, a diris illis symptomatibus, et tandem non raro mors sequitur. Caeteris paribus tamen recens adhuc adfectus, et eo in loco haerens, vbi nerui et tendines accessum tutum ad eos corruptum non impediunt, minore item tantum ossis parte erosa, et, si vlcus iunctum sit,

fit, modo hoc saniem nec nimis copiosam nec nimis foetidam ploret, nec a causa grauiore, lue venerea, scorbutoue malum ortum habeat, faciliorem paulo et tutiorum curam admittit. Contrario autem modo se habens incurabile fere est.

## §. 20.

In curatione autem interna quo felicius procedamus, opus est, ut prius ex methodo medendi indicaciones debitas formemus, antequam ad operationes chirurgicas progrediamur. Quare, ut indicantia prius praemittamus, fistunt illa nobis os ipsum erosum corrumpum, humorem acrem rosuum acidum in parte affecta, cacochymiam quandam in toto, et symptomata varia, praecipue dolorem insiginem. Ulterior ergo 1) erosio in parte affecta est praecauenda 2) cacochymia acido viscida est corrigenda 3) viscera obstructa sunt referenda et 4) symptomata mitiganda. Acidum acre rosuum in parte affecta non aperta corrigunt ea, quae massam sanguineam a salibus abundantibus liberant, et illud in parte affecta congestum inuertunt et abigunt. Massam sanguineam a salibus abundantibus liberant vel euacuantia, vel acidum inuertentia et corrigentia, et viscidum resoluentia, quibus etiam tertiae simul indicationi satisfit. Euacuando id praestant, quae, vel vna cum sanguine, vel cum sero solo partes illas educunt. Vna cum sanguine eas eliminant venae sectione, cuius, si simul abundet sanguis, vires ac aetas consentiant, et coindicantia alia adsint, ut sanguinis ordinaria suppressa euacuatio, insignis est usus, quae et reuellendi scopo inseruit, et sic quoque ad partem liberandam facit. In iis, qui venae sectionem abhorrent, Cucurbitulae cum sca-

C

rifi-

rificatione adhiberi possunt, minorem tamen quam veneae sectio dant effectum.

## §. 21.

Omnia purgantia cum sero euacuant partes has falias acres. Emetica primo euacuant cruditates ex primis viis, adeoque praestant, ne partes crudiores in massam sanguineam deferantur, et hinc nostro malo amplius ansam non praebeant. Viscera quoque premendo, et sanguinem maiori impetu in ista trudendo, ad horum aerationem, nisi inueterata sit obstructio, aliquid conferunt. Institui vero potest vomitus vel tartaro emetico, ad grana duo vel tria propinato, vel etiam Ipecacoanneae radice, praecipue in infantibus, in adultis quidem ad scrupulum vnum, in infantibus ad grana quatuor quinque vel sex; quae simul lenissime aluum ducit. Secundo purgantia et laxantia leniora et balsamica virtute instrueta multum faciunt ad corrigendam et emendandam massam sanguineam et chylificationem. Optime exhibentur in forma pillularum, ex extractis amaris et antiscorbuticis praeparatarum, v. g. ex extracto centaur. minor. fumariae, scordii, veronicae etc. addantur aliquot grana resinae Ialappae vel Scammoniae et 2ii dulc. vtpote qui egregie viscidum resoluit, et sic hanc acrimoniam viscido immersam educit. Quando vero aeger pilulas aueretur, exhiberi possunt species Gialapp. cum aliquot granis 2ii dulc. Digestitia his praemittantur, ut purgantium operatio felicius succedat, ex mediis salinis, crem. et Crystall Fri, arcan. Fri, arcan. Dupl. Θ Ab-synth. Cent. minor etc.

## §. 22.

## §. 22.

Purum sanguinem efficiunt, et visciditatem resolunt, acrimoniam temperant ac corrigunt, Resoluentia, Diaphoretica, Diuretica atque Absorbentia, vt: Decocta lignorum ex lignis et radicibus, herbis floribus etc. quae cum régimine sudorifero exhiberi possunt: eiusmodi decocta et infusa sunt Theeè, Coffeè, veronicae, rad. glycyrrh. chiae, Sarsaeparill. bardanae, Caryophyll. Scorzon. lign. quaiac. sassaf. iuniperi, santal. rubr. et similiūm, atque ex his parata medicamenta, Essent. lignor. lign. sassaf. Ra ȝii. Porro egregie particulas acres ex massa sanguinea eliminant ~ et Θ volatile C. C. Eboris, succini, viperarum, liquor C. C. succinatus, sed tantum in parua dosi, et aliis antiscorbuticis mixturiis remixta, nimirum cum Essentia Pimpinell. succini, fumariae, Trifol. fibrin. lignor. Ra ȝii etc. Eundem effectum praestant pulueres absorbentes, lap. ȝ. succin. ppt. Conch. ppt. ȝ. nat. et fact. ȝ. diaphoreticum, martiale cacheet. bezoard. Iouial. Necesse autem est, vt per aliquot hebdomadas ita continuemus, et interdum dosibus huiusmodi puluerum aliquot grana ȝii dulcis addamus. Quodsi his medicamentis non cederet et vehementius sit malum, ipsa saliuatio ȝalis institui potest; nam hae crassae viscidæque particulae inciduntur, atque aerimonia viscido immersa egregie compescitur, ac per duos saliuales educitur.

## §. 23.

Massa sanguinea quoque purgatur a salibus hisce rosiuis acribus, quando nullae amplius in illam deueniunt, hoc fit per chylificationis depravatae emendationem, atque primarum viarum depurationem. Aut

C 2

enim

enim sanguis vitiosam qualitatem accepit a multis salibus acribus, vna cum cibis, praecipue viscidis, in corpus ingurgitatis et massae sanguineae per chylum commixtis, aut saltē per laesam concoctionem in sua qualitate vitiosa conseruatur. Depurantur vero viscera et chylificatio emendatur, per aperientia, resoluentia, incidentia et roborantia. Ex hisce hic prosunt martialis, limatura martis, crocus & tis aperitiuus, tinctura & tis cydoniata, helleborata, et pomata, ♀isata, ♂ium & ale cacheicum; itemque resoluentia, incidentia et roborantia v. g. rad. Zedoar. Galangae, calam. aromat. pimpinell. Helenii, Ari, cort. citri, aurant. cinamom. etc. et ex his compositi pulueres atque cum sale Absynth. siue Centaur. minor. remixti, vt et eorum essentiae multum hic valent. Absorbentia ∇ea, vt Lap. &c. conch. ppt. corall. rubr. et alb. mater perlar. gemm. atque & etc. exhiberi quoque possunt, quae particulis terreis ♀eis fixioribus constant, spiculis salinis cohaerent, et sic vim saluum obtundunt. Omnibus his refracta dosi anodyna possunt misceri, tam quia etiam saluum vim infringunt, quam quia dolores mitigant.

## §. 24.

In curatione externa spinam ventosam commode in tres gradus cum celeberrimo HEISTERO distingue-  
mus. Primus gradus est, quando aeger dolorem continuum et quasi spinosum in osse sentit, qui dolor tunc ostocopus audit, et adeo dolorosus est, vt aegri prae illo dormire nequeant, absque tamen subinde tumore, rubore, atque dolore externo: atque ita morbus tantum intus adhuc in osse latitat, et est in incremento. Secundus gradus cognoscitur, quando, praegressis modo no-  
mina-

minatis doloribus, iisdemque adhuc continuantibus, aliqualis tumor in osse sese sensim manifestat, siue ille sit durior siue paulo mollior, et quasi ventosus, cum dolore etiam externo, modo leuiori modo grauiori. Tertius vero gradus sese manifestat, quando praegressis duobus istiusmodi malis, abscessus tandem apparet, ex quo, vel sponte rupto vel aperto, ichor foetidus, siue materia purulenta, butyri vel lardi rancidi odore exit, et continuo ex hoc vlcere sanies foetida plus minusue effluit, et sic haec acris materia, nisi cito succurratur, totum os corrodit, ita ut nullam tunc medelam amplius admittat, sed tota pars affecta refecanda sit.

## §. 25.

In primo ergo et secundo gradu, vbi vlcus nondum adestr, sed tantum intolerabilis dolor ostocopus et aliqualis tumor apparet; optime conducunt decocta lignorum, vt et essentiae eorundem vel pimpinell. albae supra iam recensita, interpositis potissimum subinde medicamentis aluum ducentibus, ex mercurio dulci paratis, et aeger seruet regimen blande sudoriferum. Externe pars affecta vnguento mercuriali calide probe fricitur, et deinde emplastrum mercuriale superimponatur. Balneum quoque in usum potest vocari ex herbis resolutibus praeparatum: Naturaliter calida hic etiam profundit, vt Bada-Badense, Wildbadense, Wisbadense et post balneum membrum rursus calide fricitur vnguento xiali, et dein pars affecta empl. xali tegatur.

## §. 26.

His vero omnibus irritis, quando nimirum dolores ac tumores augerentur, et abscessus accederet, ad ope-

C 3 ratio-

rationem fortiorum confugiendum est, secundum HIPPOCRATIS monitum: Quos medicina non sanat, ferrum sanat, quos ferrum non sanat, ignis sanat, quod nec haec duo sanant, ea insanabilia habenda sunt. Primo mature, si abscessus iam adest apertus, dilatetur, si non sit apertus aperiatur, ita ut partes super impositae secentur secundum directionem fibrarum, nisi nerui tendines aut vasa maiora id prohibeant, et scalprum, vel, quod melius, terebra in usum vocetur, terebrando usque dum segmenta ossium nativi coloris appareant; vel, secundum PETITVM, utimur specio acuto et malleo plumpeo, quibus particulae ossis corruptae vi separantur, vel tandem volfella aut forcipe minori, pro loci aptitudine. Igne quoque medemur cariei profundiori, vel spinae ventosae per cauteria actualia ferrea, igne probe candefacta, et ossi affecto aliquoties applicata: dum vero hoc fit, vicinae partes defendendae sunt, quod mediantibus cannulis ferreis efficitur, subinde mutandis, vel aqua refrigerandis et temperandis. Postquam haec facta sunt, externe mundantibus atque balsamicis medicamentis, qualia sunt decoctum agrimoniae, hyperici, aristolochiae, cum melle rosarum et Ess. myrrhae, succini, aloes, mastichis, opobalsami, etc. siphone bis de die iniectis, vlcus purgandum est: vel quod melius vius dulcis in aqua plantaginis vel aqua calcis viuae solitus, postea balsamus peruvianus, de mecha, de capaiua, vel Ess. opobalsami, succin. myrrhae, cum linamentis carptis, est imponendus, atque super iniectione emplastro vali, alioue conueniente deligandum est vlcus, donec glutinetur.

§. 27.

Quodsi profundius haereat malum et tertius gradus malignus adsit, tumor ossis corruptus sectione cruci-

cruciformi, si fieri potest, detegatur, et pars extrema quatuor angulorum cutis resecetur, suadente PETITO. Hoc facto terebra exfoliatoria applicari potest, in qua operatione tamdiu est continuandum, usque dum omne, quod vitiatum est, fuerit separatum, color albus ossis appareat, vel humor cruentus exsudet. Quando vero ali-  
quid cariosum et erosum relictum esset, isti applicetur oleum cinamomi, caryophyll. aut oleum ligni quaiaci, ope  
penicilli; puluis quoque Euphorbii vel essentia eiusdem,  
cum spiritu vini optimo parata, cariem vehementer exe-  
dit. Dein balsamus Peruianus vel de Copaiua, et lina-  
menta carpta, Essentia quadam balsamica, vel solo spiri-  
tu vini rectificatissimo impregnata, superimponantur, et emplastro quodam conueniente obtegantur. Atque sic  
continuetur una cum internis supra laudatis, donec omne,  
quod vitiatum est, fuerit separatum et exfoliatum, et de-  
mum consolidetur. Summe est cauendum ne ossibus  
acida corrosiva applicentur: cum acidum corrosuum  
iam dum adsit, et ex talibus applicatis non solum cario-  
sis, sed et sanis adhuc fibrillis, facile acidae rosuae partes  
inficiuntur. Ossibus vero inimica esse acida nemo infi-  
cias ire poterit, quod et tristia testantur exempla.

## §. 28.

Si autem corruptio ossis maior adsit, quam ut dicto modo corrigi queat, et ulterius incrementum capiat, vi-  
taeque periculum minitetur, membra amputatio est ne-  
cessaria, ut reliquae partes et vita seruentur. Ipsa ampu-  
tatio in parte instituatur sana, ne malum remaneat, aut  
recurrat. Prius tamen quam haec suscipitur, probe et  
sollicite inquirere debet medicus, an aegroti vires, ad  
haeroicam hancce operationem ferendam, sufficient et  
spes

spes sit, vt, parte hac detruncata, aeger euadat. In maioribus membris amputatio modo consueto instituitur, et omne quod corruptum separatur, et serra acutiori os praescindatur, haemorrhagia puluere styptico cum spiritu vini impraeignato, vel aliis liquoribus stypticis, atque ligaturis conuenientibus, sistatur, debiteque deligetur. Calli et cicatricis generatio quantum fieri potest promoveatur.

## §. 29.

Quando vero morbus in paruis tantum ossibus, vt in carpo, tarso, metacarpo et metatarso, vel etiam in dito est, non opus est semper, vt totum membrum, digitus nimirum, pes vel manus auferatur; sed sufficit saepe vt ossiculum tantum corruptum eximatur. Plura qui de hoc scire vult, euoluat celeberrimum HEISTERVM, PETITVM et PANDOLPHINVM cum notis MERKLINI.

## §. 30.

Ad praeferuationem et curationem feliciorem multum facit, aér purus, temperatus, serenus, minime omnium frigidus, adfectui huic curando maxime aduersus. Cibi praebeantur facilis concoctionis, mucilaginosi, boni succi, quo acrimonia temperetur, non acres: acidi vero salini, muriatici, fumo indurati vitentur. Potus quoque vitetur frigidus, acidus, austerus, non fermentatus, feculentus; concedatur potus Coffeè, Theè, ipsiusque vini, sed parum, si debilis sit concoctio. Motus mediocris tantum sit, si pars adfecta concedat. Somnus sufficiens admittatur, vt vires conseruentur, non tamen sit nimius. Affectus animi vehementiores, ira, tristitia, terror, metus arceantur quoquis modo et animus sit tranquillus. Quae si obseruat aeger et ad ea, quae necessaria sunt, se promptum exhibit, meliora poterit sperare, et cum Deo morbum grauissimum superare.

F I N I S.

CLA-